



COLLEGII QUARTI
In Augustanam Confessionem,
quod adhuc est

De Ecclesia,

DISPUTATIO V.

Et in specie

De totius Ecclesiæ gubnatione,
Pontifici (ut fingunt) commissa: nec non
ad ipsum appellatione.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

M. SAMUELE HAIN, Culmbacense Franco.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 1. Maij.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXI.

COLLEGIUM QUARTUM

IN AUSTRIANIS COLLEGIIS

quod dicitur

De Ecclesia

DISPUTATIO

IN PRAESENTIA

DOCTORIS THEOLOGICI GUSTAVI

FRANCKII (MAGISTRI) COMM. P. B. S. S.

AD ALIUM SPECIEM

PROPOSITAM

IN FACULTATE THEOLOGICA

PER

JACOBO MARTINI S. Th.

DOCT. & PRAEPOSITO FACULTATIS THEOL.

SEMPER REVERENDISSIMO

RESPONDENTE

DR. SAMUEL B. HAIN COLLEGIUM LANC.

IN FACULTATE THEOLOGICA

ADDITUM

IN FACULTATE THEOLOGICA

IN OFFICINA TYPOGRAPHICA

ANNO MDCCLXXII

D. O. M. A.

Continuatio.

S Equitur nunc, ut videamus, quomodo partim à Becano, partim à Bellarmino probetur. Pontificem Romanum esse caput seu Pastorem Universalem, & sic Monarcham totius Ecclesie. Becanus lib. 3. de Repub. Eccles. c. 4. thema hoc probat certis privilegiis, Pontifici Romano, non tantum jure Ecclesiastico, sed etiam jure divino, & peculiari Christi institutione (ut quidem loquitur, & jaçtat Jesuita) concessis: de quibus ordine, & quidem hac disputatione de duobus prioribus,

THESIS I.

Primum ergo privilegium, quo suum thema probare satagit Becanus, est: *Tota Ecclesia Pontifici (Romano) gubernanda commissa est.* Hoc probo, (pergit §. 3.) 1. *Ex jure Institutionis.* 2. *Ex jure successionis.* 3. *Ex Conciliis & Patribus.* Primo igitur ex jure Institutionis sic: *Forma gubernandi Ecclesiam debet nunc esse talis, qualis ab initio fuit ex Christi institutione: At ab initio, ex Christi institutione, gubernatur Ecclesia ab uno visibili capite, nempe ab ipso. Ergo etiam nunc debet gubernari ab uno visibili capite, quod non est aliud, quam Pontifex.*

II. Ad hoc argumentum sæpius responsum est. Breviter: *Terminus, Forma gubernandi Ecclesiam, est ambiguus: Vel*

A 2

acci-

accipitur pro forma interna: vel pro externo modo regiminis. Hæc enim ut distincta sunt, sic in unâ eademque Republ. diversa esse possunt: nempe forma interna Monarchica; exercitium verò regiminis vel Aristocraticum, vel Democraticum, vel contrà: uti id ex Politicis planum est, & experientia testatur. Hoc supposito, licet Major non sit simpliciter & necessariò vera. (Mansit enim Resp. Romana, licet Julius Cæsar illam mutaverit ex Democratiâ in Monarchiam) concedimus tamen illam, si accipiatur de internâ Reipubl. Christianæ formâ, quippe quæ in nullo est mutata. Ut enim Christus, hinc in terris obambulans, fuit caput suæ Ecclesiæ: Sic hodieq; & quidem multò magis, sedens ad dextram Patris, & omnipotentem acceptam in cœlo & in terrâ exercens, suæ Ecclesiæ unicum Caput & Rex est.

III. Si autem in posteriore potestate terminus iste acceptetur, negamus Majorem. Cum respectu unius capitis, à quo majestas fluit, interna alicujus regni forma & essentia sit maneatque Monarchica: licet illud per plures Vicarios vel subordinatos Magistratus Aristocraticè gubernetur: Quandoquidem quicquid illi Majestatis ac jurisdictionis exercent, id non in se & ex se habent faciuntque, sed totum est & derivatur ab illo Capite, cujus isti sunt Vicarij, & Magistratus subordinati sive inferiores. Sic quoque res sese habet in Ecclesiâ. Christus post suam Resurrectionem & Ascensionem in cœlos æquè mansit, imò longè excellentiore modo est, suæ Ecclesiæ unicum ac verum Caput, unicus Rex & Monarcha: Apostolos autem, ut instar Vicariorum in universum terrarum orbem, & sic in Regnum suum, misit plures; per quos mediatè gubernaret: sic hodieq; mittit Episcopos & Pastores, qui nomine, mandato, sicq; autoritate & majestate ipsius non tam gubernent Ecclesiam, quàm ei ministrent, non quidem Monarchicè, sed Aristocraticè, formâ & essentiâ nihilominus Ecclesiastici hujus Regni permanente & existente Monarchicâ: propter illud, quod diximus, unicum & verum Caput, Christum.

IV. Bellarminus *lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 12.* necit argumen-

men-

mentum ex Joh. 21. v. 15. & seqq. Tertiò ex verbis Domini, *Johau. ult: Pasce oves meas.* Nam officium pastoris est officium ordinarium & perpetuum: Siquidem ex natura rei tamdiu durare debebat officium pastoris, quamdiu manet ovile. Ovile autem manet, & manebit usq; ad mundi consummationem: igitur eò usq; successores Petri in summo illo pastorali officio manere necesse est.

V. Ad locum illum Johannis centies responsum est. Concessimus, Petro datum verbis istis fuisse officium *pascendi oves*: Sed 1. non soli. 2. non ut esset summus Pastor, etiam ipsorum Apostolorum: Quæ quia in hoc Bellarmini argumento supponuntur, & non probantur, eà facilitate rejicitur, quâ à Bellarmino fictum & allatum est. Pastoris officium ordinarium esse non nego, sed ordinarium fuisse in Apostolis, pernego. Hi enim non simplices ac nudi erant Pastores, sed Apostoli, habentes extraordinarium officium, quale in Veteri Testamento Prophetæ. Qui etiam docebant populum, pro ipso intercedebant, interdum etiam sacrificabant, sicque faciebant, quæ ordinarii sacerdotis erant officii, non tamen sacerdotes ordinarii: Sic quoque Apostoli licet fecerint in toto mundo, quod faciunt Pastores in sibi commissis particularibus Ecclesiis, non tamen propterea ordinarii pastores censendi sunt.

VI. Concessimus in præcedente disputatione thes. 41. successum fuisse Petro (sed, inquam, non tantum Petro, sed cæteris Apostolis omnibus) in Ministerio Ecclesiastico, nequaquam verò in Apostolatu. quod erat officium universale, ad universam Ecclesiam spectans. Distinguendum ergò reor inter ministerium Ecclesiasticum, ut tale, & inter ministerium Ecclesiasticum, ut redditur *Universale & Particulare*: Ministerium conjunctum cum Apostolatu, universale est, propter Apostolatatum: Ministerium contra, conjunctum cum ordinario pastoratu sive Episcopatu, redditur & est particulare, teste ipso Petro 1. Epist. c. 5. v. 2. Et Cyprianus lib. 1. Epist. 3. scribit: *Singulis pastoribus portio gregis ascripta est, quam regat unusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus.* Qui itaq; Apostoli constituerunt Pastores & ordinarunt Episcopos, non vero A-

postolos, quippe certis locis istos præficientes; sequitur: quod nullus Pastor, & nullus Episcopus, atq; sic nec Episcopus Romanus, est constitutus universalis, sed æquè, ut cæteri, particularis Episcopus. Ratio. Nam quod Ministerium & Episcopatum facit universalem (Apostolatus nimirum) in illâ ordinatione & constitutione non fuit unâ datum & communicatum.

VII. Etiam si ergò vi allegati mandati & ordinationis Christi Petrus accepit pasturam ovium Christi, accepit tamen illam non ut Pastor & Episcopus particularis, sed ut Apostolus, atq; sic omninò pastoratus & Episcopatus administrationem universalem (sed, ut monuimus, non solus) ideoq; extraordinariâ, & propterea (ut adhuc repetamus, & inculcemus,) neq; ipse neque cæteri Apostoli sibi successores ordinarunt in universalissimo officio, nempe Apostolatu, sed tantum in Ministerio Ecclesiastico, quod in successoribus universale esse nõ potuit ob defectum causæ, ministerium universale efficientis, & vicissim ob præsentiam causæ, illud particulare constituentis, quod certis locis ac Ecclesiis præficiébantur.

VIII. Pergit Becanus d. l. §. 5. *Secundò ex jure successionis sic: Pontifex succedit Petro cum pari potestate: At Petro totius Ecclesie gubernatio fuit commissa. Ergo etiam Pontifici committitur. Minor lib. 2. de primatu Petri probata est. Majorem probo auctoritate Patrum, quos præcedente capite recensui, & paulo post iterum recensibo. Deinde ratione. Nam si Pontifex non succederet Petro cum pari potestate, jam mutata esset forma gubernandi Ecclesiã. Nam tempore Petri gubernata fuit in uno visibili capite: nunc non gubernaretur ab aliquo visibili capite. Hæc mutatio non admittitur. Ergo fatendum, Pontificem habere primatum Ecclesie, sicut Petrus habuit.*

IX. Meræ petitiones Principii sunt in his argumentis, proindeque nihil concludunt. Petro totius Ecclesie gubernationem fuisse commissam, dicit Jesuita se probasse in præcedentibus. At nos demonstravimus, & ad oculos evicimus, nihil minus, quàm hoc demonstrasse Becanum; cum evidentissimis rationibus & argumentis contrarium luce meridianâ
clarius

clarius effecimus: nempe Petrum præ reliquis Apostolis nul-
lam habuisse prærogativam, vel jurisdictionem in Ecclesiam.
Uti etiam auctoritates Patrum examinavimus, & suis locis
cum Deo pluribus in objectarum momenta inquiremus.

XI. Deinde petitio quoque principii est in secundi argu-
menti Majoris probatione. Christus enim non unum, sed duo-
decim Apostolos elegit, & iis Ecclesiam pari jure & potestate
gubernandam, commisit, ut multoties probatum est. Inter il-
los erat Petrus: qui neque solus Ecclesiam, rexit, sed undecim
habuit collegas, qui cum ipso pari jure Ecclesiam administra-
runt: neque eam peculiari modo rexit, sed omnes Apostoli modo
plane eodem, ad idem officium, propter eosdem fines vocati,
& mandati officii munia executi sunt. Ergo falsum est, *sem-
pore Petri, à Petro, tanquam unico Monarchâ, Ecclesiam fuisse gu-
bernatam.* Retorquemus ergo argumentum in ipsum adver-
sarium: Si Pontifex soli Petro succederet cum pari potestate,
nempe in universali gubernatione, h. e. in Apostolatu, tum mu-
tata esset forma gubernandi Ecclesiam: Nam tempore Petri
gubernata fuit, non ab uno visibili capite, sed à duodecim A-
postolis: Hanc mutationem non admittis Jesuita: Ergo fateri
debes, Pontificem non habere primatum Ecclesie, sicut Pe-
trus habuit, nempe modo Apostolico & universali.

XI. Adducit porro Becanus responsum Marci An-
tonii de Dominis, & ad eam respondet §. 6. *Respondes (cap. 6. &
8.) Etiam si ex divino jure successionis deberet aliquis Petro succedere
in primatu Ecclesie, adhuc tamen negandum esset, Romanum fore
Pontificem. Mira pertinacia (addit Jesuita.) Quis ergo foret? An-
tu, Marce Antoni? An aliquis alius? Designa, si potes. At constringam
te hoc modo: Aliquis jure divino debet succedere Petro in Primatu, ex
suppositione. Negas Pontificem esse, quod omnes antiqui Patres affir-
mant. Dicis, alium esse debere, quod hætenus nemo dixit. Quis tibi
credet! Nec tu ipse tibi.*

XII. Omnino, si vel maxime hypothesis data vera es-
set, quod interim constanter negandum & pernegandum est,
*Pontificem Romanum esse Petri successorem; nihilominus hujus
nostræ*

nostræ negationis haberemus rationes satis evidentes & irrefutabiles. Manet enim, inter Petrum & Pontificem esse tantum discrimen, quantum inter lucem & tenebras, inter Christi Apostolum, ac diaboli ministrum seu vicarium: atq; id luculentissimè ex doctrinæ & officii ac studiorum utriusq; intuitu demonstratur. De officio & studiis seu vitâ prius.

XIII. Primùm, teste Evangelicâ historiâ, Petrus fuit fidelis Christi Apostolus, & verbi minister; At Papa non Ministrum sed Magistrum, non Apostolum, sed caput se profitetur Ecclesiæ. 2. Petrus legitimè ad Apostolatam est vocatus; Papa flagitiosis artibus illam pestilentia cathedram occupavit. 3. Petrus vocat se, *συμπεσβύτηρον*: Papa se Episcopum Episcoporum. 4. Petrus fuit in Apostolatu suo maritus, habuit enim socrum: Papa legitimum mulierum amorem averfatur, interim incestis libidinibus turpiter indulgens. 5. Petrus æquo animo passus est se reprehendi, & à Paulo & à Christo; Papa ex imâ infernalis barathri abyfso rugit & mugit, de factis Papæ disputare, esse sacrilegium. 6. Petrus Cornelium Centurionem corâ se procidentem seriò vetat: Papa ad impuros suos pedes Cæsaream majestatem adigit. 7. Petrus omnes Ecclesiastici ministerii partes in se suscepit, & obiit strenuè: Papa nihil horum, nisi quod nonnunquam missificet, id est, crucifigat de novo filium Dei. 8. Petrus non est dominatus Clero: Papa intolerabili traditionem jugo strangulat conscientias, &c.

XIV. Doctrinæ quoq; *ἀντίθεσις* probatu facilis est. Primùm Petrus vocat Scripturam Prophetarum sermonem firmum; Papa cum suâ purpuratâ synagoga vocat eam Regulam plumbeam, in quam vis figuram flexibilem. 2. Petrus Scripturam Incernæ comparat; Papa obscuritatis maculam ei aspergit. 3. Petrus vult in Ecclesiâ sonare verbum Dei: Papa *ἰθελα θρησκείας* constituit. 4. Petrus in laicis laudat lectionem Scripturæ: Papa utrumq; Testamentum illis interdicit. 5. Petrus sanguini Christi redemptionem nostram in solidum acceptum fert: Papa infinitas propè consequendæ salutis rationes pro-

proponit. 6. Petrus docet nos liberari à peccatis non auro vel argento corruptibili: Papa in putidissimis indulgentiis, auro venalem peccatorum remissionem prostituit. 7. Petrus Christum semel oblatum scribit: Papa indies eum vult offerri in missâ theatricâ. 8. Petrus commendat conjugium, præscriptis certis in eo vivendi præceptis: Papa, ut impurum vitæ genus, in unctis & rasis suis missificatoribus id damnat, &c.

XV. Quæ cum ita sint, & Pontifex Romanus Petro neque loco, neq; doctrinâ, neq; officio, vitâ, studiis ac moribus succedat, non est pertinacia, quod nos pontificem Rom. Petri successorem esse negamus; sed potius stupenda est preticacia, quod pontificij lucem in meridie solstitiali, & veritatem, in aprico et oculari demonstratione expositam, non videant: nimirum Petro nihil dissimilius esse pontifice Romano.

XVI. Mira autem est stulticia Becani, quod hypothesin falsam, sed certo respectu ad hominem disputatam & concessam, tanquam simpliciter concessam urgeat. Sic disputamus: *Quod si omninò concedendum esset, ex divino jure successionis debere aliquem Petro succedere in primatu Ecclesiæ; adhuc tamen negari posse, & omninò negandum esse, Romanum Pontificem fore successorem.* Atq; sic duntaxat ratione hujus Non-consequentia hypothesis istam damus, quare ultrâ illam non debet extendi. Periade ac si quis adserat, *lapidem vivere, & propterea esse fruticem.* Respondere possem, posito hoc, *lapidem vivere, quod interim verum non est; inde tamen non statim sequi, vel inferendum esse, lapidem esse fruticem.* Stultus jam disputator esset, qui me urgeret, ut demonstrarem, *quale vivens sit lapis, si non frutex:* cum simpliciter negem lapidem vivere, & extrâ datam hypothasin, nempe *quod id inde non sequatur, quod adversarius sibi imaginatur sequi,* nihil concedam.

XVII. Quid? quod si simpliciter concedatur, *jure divino Petrum habere ordinarium successorem:* simulque negetur à nobis, *Pontificem Rom. esse legitimum Petri successorem:* nec dum teneremur alium legitimum successorem nominare: Cum fieri possit, ut legitimus successor per vim & tyrannidem sit

B

interem-

interemptus, & alius per fas nefasq; locum veræ successionis occupet. Sic posito primis annis & seculis Romanum Episcopum fuisse Petri successorem legitimum: Ergone statim legitimus ejus successor est modernus Pontifex? Contrarium demonstravimus. Olim legitimi successores Imperatoris sedis erant Constantinopoli. Dic mihi Jesuita: Si Turca non est legitimus successor, quis hodie sit? Profecto nullum nominare poteris, cum nemo nisi Turca possideat.

XVIII. Taceo, quod ad huc dubium esse possit, an Episcopo Romano, vel potius Constantinopolitano suprema Ecclesie inspectio & Jurisdictio Jure attribuenda sit. Quandoquidem Constantinopolitanus olim Romano par & æqualis erat. Synod. Constant. c. 36. *Renovantes, quæ à centum & quinquaginta Patribus, qui Constantinopoli convenerant, & à sexcentis & triginta, qui Chalcedone convenerant, statuta sunt, definimus, ut Constantinopolitana sedes parem habeat dignitatem sedi Veteris Romæ, & in Ecclesiasticis negotiis æquè atq; illa magnificetur.* Sed omnia ista frustrâ disputantur: Neque Romanus, neque Constantinopolitanus, neque ullus alius Episcopus, supremam habet Jurisdictionem, vel Monarcha est in Ecclesiâ.

XIX. Pergit Becanus §. 7. *Sed quo Jure, inquit, Romanus Pontifex potius succedit, quàm quivis alius Episcopus? Dicam Antoni. Jure divino, seu ex institutione Christi. Nam quia Christus semel instituit, ut Ecclesia semper gubernetur ab uno visibili capite, seu Pastore, necesse est, ex vi illius Institutionis, ut moriente uno pastore, succedat alius in ejus locum, sicut in veteri Testamento factum est (Hebr. 7. v. 23.) Alioqui, nisi alter alteri succederet, non servaretur institutio Christi, quâ voluit, ut Ecclesia semper haberet unum visibilem pastorem, cui diceret, quod Petro dixit: *Pasce oves meas.* At unde constat, Pontificem debere esse hunc successorem? Et hoc dicam. Constat ex Traditione. Scis, Antoni, quæ sunt Juris, aut institutionis divine, dupliciter nobis innotescere: Vel ex Scripturâ, vel ex traditione. Sicut ergo ex Scripturâ constat, Christum fuisse visibile caput Ecclesie; & Petrum constitutum Christi Vicarium per illud, *Pasce*: ita constat ex traditione, Pontificem esse Petri successorem.*

Hanc.

Hanc traditionem accepimus ab antiquis Conciliis & Patribus, de quibus jam dicendum est.

XX. Bona verba. Si asinus volat, habet pennas. Meræ sunt petitiones principii. Negamus enim & pernegamus, imò & demonstramus falsum esse, *Pontificem jure divino, sive ex institutione Christi esse successorem Petri.* Cum ante Concilium Nicaenum de præ eminentiâ istâ sedis Romanæ, quam ex successione Petri haberet, nihil auditum fuerit in Ecclesiâ, sed quilibet Episcopus sibi vixerit & admodum parvus respectus fuerit ad Ecclesiam Romanam. *Aneas Sylvius, Epist. 31. Cyprianus Epist. 75.* Pernegamus, & falsum esse demonstramus, Christum instituisse, ut Ecclesia post suam ascensionem semper gubernaretur ab uno visibili capite seu pastore, eoque Romano Pontifice: cùm constet, Bonifacium Tertium non à Christo, sed à Phoca Imperatore demum obtinuisse, & quidem magnâ contentione, ut Roma caput omnium Ecclesiarum diceretur, *Platina in Bonifac. Tertio.* Pernegamus, & falsum esse probamus & probavimus, Christum velle, ut Ecclesia semper habeat unum visibilem pastorem, cui dicat, quod Petro dixit: *Pasce oves meas:* Hoc enim non uni duntaxat, sed omnibus Episcopis vult dicere & dicit; teste ipso Petro, 1. Ep. 5. v. 2. *Pascite gregem, qui penes vos est, ejus inspectioni vacantes.* Et Paulus hortatur Presbyteros Ephesinos Act. 20. v. 29. inquit *Attendite vobis ipsis & toti gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, ad pascendum Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine.*

XXI. Porro falsum, absurdum, & in Orthodoxâ Ecclesiâ inauditum est, quæ sunt juris aut institutionis divinæ, dupliciter nobis innotescere: Vel ex Scripturâ, vel ex Traditione. Cum ex unicâ & solâ Canonica Scripturâ nobis innotescant. Sic argumentor: In quo solo continetur jus divinum, ex illo unico & solo nobis innotescunt, quæ sint juris vel institutionis divinæ: Atqui Sacra & Canonica Scriptura est, in quâ solâ jus divinum continetur: Ergo Sacra & Canonica Scriptura est, ex quâ unicâ & solâ nobis innotescunt, quæ sunt juris & Institutionis divinæ: juxta illud Esa. 8. v. 20. *Ad legem*

Et ad testimonium, si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis lux matutina: Si autem ex solâ & unicâ Canonicâ Scripturâ: Ergo nequaquam ex traditionibus: quippe quæ Sacra Canonica Scriptura non sunt.

XXII. Sic petitio Principii est, Petrum constitutum fuisse Christi Vicarium per illud *Pasce*. Nam alius quiddam (inquit Cyrillus lib. 12. in Johann. cap. 44.) *hec oratio parturit. Nam quoniam cum aliis Apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus ter in tempore passionis negavit, jure nunc ab eo terna confessio petitur: Ut terna negatio equali confessionis numero compensetur.* Non igitur Petro ter dictum est, *Pasce oves meas*, ut Monarcha fieret in Ecclesiâ, sed ut dedecus abnegationis aboleretur, & ipse ad Apostolatam denuò vocaretur, in illo confirmaretur, sicque cæteris Apostolis rursus æqualis fieret, Apostolatam cum ipsis communem consecutus, & ita in integrum restitutus. Si ergo propter Apostolatam Petrus fuit Vicarius Christi, utique non solus fuit, sed tot vicarii, quot Apostoli. Deinde Apostolatus fuit officium extraordinarium, in quo nulli dantur successores, affirmantibus ipsis Pontificis & Jesuitis. Quomodo traditio sese habeat, & adversæ partis sententiam probet, in progressu videbimus.

XXIII. Bellarminus adhuc alia adducit argumenta lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 12. *Primum, inquit, oportere Petro aliquem succedere in Pontificatu Ecclesiæ universæ, colligitur ex fine Pontificatus. Nam certum est, Pontificem esse propter Ecclesiam, non Ecclesiam propter Pontificem. Sic enim Augustinus lib. de Pastoribus cap. 1. Quod Christiani sumus, propter nos est, quod prepositi sumus, propter vos est. Atqui Ecclesia non minus eget nunc uno pastore, quam tempore Apostolorum, imò verò etiam magis, cum nunc sint Christiani & plures & pejores. Non igitur, moriente Petro, interire debuit Pontificatus, qui non in Petri commodum, sed in Ecclesiæ utilitatem institutus erat, sed manere ac perseverare, donec ipsa Ecclesia manet, aut certè donec in terris peregrinatur, & unius summi pastoris cum & vigilantia opus habet.*

XXIV. Sic ergo vult argumentari Pro syllogismo Bel-

Bellarminus : Quod est propter Ecclesiam, id durat, quam-
diu Ecclesia durat : Atqui Pontifex est propter Ecclesiam, te-
ste Augustino : Ergò Pontifex tamdiu durat, quamdiu Eccle-
lesia durat. Probatâ ergò sic conclusione progreditur hoc
modo : Pontifex durat, quam diu Ecclesia durat : At Petrus
est Pontifex : Ergò Petrus durat, quamdiu Ecclesia durat.
Aut ergò in personâ, aut in successoribus durat, quamdiu Ec-
clesia durat. Sed non illud : Ergò hoc. Successores autem,
ut postea concludit, sunt nulli alii, quàm Pontifices Romani :
Unde necessariò sequitur, Pontifices Romanos successisse Pe-
tro in Monarchiâ Ecclesiæ.

XXV. Respondemus primùm ad Prosyllogismi Maje-
rem, illam non simpliciter veram esse. Quandoquidem Apo-
stolatus duodecim Apostolorum fuit sanè propter Ecclesiam :
sed cum ipsis cessavit. Donum linguarum & miraculorum
fuit propter Ecclesiam; sed cum primitivâ Ecclesiâ desit.
Imò totum Externum Ministerium licet sit maximè propter
Ecclesiam, non tamen tamdiu durabit, quamdiu duratura
est Ecclesia. Hæc enim etiam in futurâ vitâ durabit, sed ibi
nullum amplius erit externum ministerium.

XXVI. Quia ergò Major Prosyllogismi est falsa demon-
strata, nullâ necessitate veram conclusionem infert. Nam li-
cet id interdum contingat : non tamen fit ob formæ, sed ma-
teriæ necessitatem. Ergo conclusio vi hujus Syllogismi non
vera, sed falsa judicanda est. Non enim Petrus mansit in
successoribus, nempè officium Petri : quippe extraordina-
rium (ut centies dictum) quod successionem omnem respuit.
Quia ergò hæc falsa est, utique & major Syllogismi principa-
lis erit falsa : cum re ipsa sit Prosyllogismi conclusio. Ut au-
tem hæc falsa, sit Minor ejusdem non est vera. Quandoqui-
dem nequaquam concedendum est, *Petrum fuisse Pontificem
Ecclesiæ Novi Testamenti* : Quippe quæ tantùm unicum habet
Pontificem, Christum Jesum Dominum nostrum, Heb. 3. v. r.
Considerate Pontificem nostrum Jesum Christum, Hebr. 7. v. 23.
Et illi quidem plures facti sunt Sacerdotes, quod mors prohiberet

eos manere. At isto propterea, quod in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium.

XXVII. Deinde sic argumentamur: Omnis Pontifex constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, *Hebr. 5. v. 1.* Sed Petrus nullum sacrificium pro peccatis obtulit: Ergo Petrus non fuit Pontifex. Præterea: Petrus est Pontificis Novi Testamenti servus, 2. *Petr. 1. Simon Petrus Servus & Apostolus Jesu Christi.* Sed Pontificis servus non est ipse Pontifex: ut servus non est Dominus: Et sic rursus sequitur, quod non sit Pontifex.

XXVIII. Majore ergo & Minore demonstratâ falsâ; conclusio nulla infertur: proindeque falsum erit, *Petro in Pontificatu totius Ecclesie succedi.* Quod enim Petrus non habuit, in illo ipsi nemo succedere potuit.

XXIX. Taceo, quod totum hoc argumentum nihil ad rem faciat. Quandoquidem hîc quæstio non est: *An Petrus fuerit Pontifex totius Ecclesie:* Sed hoc quæritur; *An Papa successerit Petro in Monarchiâ totius Ecclesie, & an tota Ecclesia Pontifici Romano gubernanda commissa sit.* Et verisimile est Jesuitam terminos hosce callidè mutasse, ut lectorem incautum deciperet. Nam *Pontifex* interdum apud auteres accipitur pro ministro Ecclesie. Sub hac ergo homonymiâ latitare & imponere maluit, quàm apertè ac directè, quod proposuerat, concludere.

XXX. Augustini autoritas pro probandâ Minore frustra adducta est. Cum non minorem, sed Majorem probare debuisset. Nam negatâ Majore, ut à nobis negata & falsitatis convicta est, etsi minor vera esset, nihil tamen concluderet: Cum tota vis inferendi ex Majore pendeat. Adde, quod *Præpositus* non sit ipse Pontifex, sed Pontificis servus.

XXXI. Quod porrò immiscet Jesuita, *nunc magis opus esse uno pastore, quàm tempore primitivæ Ecclesie;* nihil concludit. Nam aut intelligit primitivam Ecclesiam, in quâ ipse Christus docuit; Aut illam, in quâ Apostoli post Ascensionem Christi docuerunt. In illâ, & illo tempore, erat unus verus & supremus

mus

mus pastor, nempe Christus. Si ergò de hoc pastore loquitur Jesuita, salva res est: Siquidem hic, ut tum, sic & tempore Apostolorum, imò omni tempore, & hoc nostro, suam Ecclesiam pascit. Si autem loquitur, ut omninò loquitur, de Ecclesiâ post Ascensionem Christi, & sic de pastoribus, quos hic *δεξιμωλω* constituit, maximus ac crassissimus error committitur. Etenim non unum universalem & supremum, sed duodecim æquales constituit, illisque æquali jure suam Ecclesiam pascendam commisit. Hi rursus non constituerunt, & post se reliquerunt unum generalem Episcopum, cæterorum omnium, & sic totius Ecclesiæ inspectorem, gubernatorem & regem: Sed per singula oppida Episcopos cõstituerunt *Act. 14. v. 23.* Per suffragia creavit per singulas Ecclesias Presbyteros. Et ipse Petrus nullibi docet, ut unus Papa universæ Ecclesiæ dominetur, sed disertè mandat, ut unusquisque Presbyter sive Episcopus suum gregem curet, qui penes se est: Prohibetque expressè ne Episcopi suis gregibus dominantur, *1. Petr. 5. v. 2.*

XXXII. Causam tandem, quam allegat Bellarminus, in ipsum retorquemus. Si enim hodie homines pejores sunt, quam tempore primitivæ Ecclesiæ fuerunt; tum sanè non sufficit unus ad omnes homines edocendos, corrigendos, in officio pietatis & fide conservandos, errantes in veram salutis viam reducendos, &c. Sed multis opus est pastoribus, qui omnes pascant, ab impietatis viâ abducant, & ad veram pietatem adducant.

XXXIII. Secundum argumentum Bellarminus sic proponit: *Secundò ex unitate Ecclesiæ. Nam Ecclesiæ est una & eadem omni tempore, non debet igitur mutari forma regiminis, quæ est forma etiam Reip. & Civitatis. Quare si Apostolorum tempore, unus erat supremus rector, & caput Ecclesiæ, hoc etiam tempore esse debet.*

XXXIV. Sic ergò vult argumentari: Quæ respublica & Civitas est una eademque omni tempore, illius forma regiminis non debet mutari, sed ut fuit ab initio, sic debet semper esse.

esse.

esse & manere: Atqui Respub. Ecclesiastica & Civitas Dei, h. e. Ecclesia, est una eademque omni tempore: Ergò Republicæ Ecclesiasticæ, & Civitatis Dei, h. e. Ecclesiæ, regimen non debet mutari, sed ut fuit primo Apostolorum tempore, unus supremus rector & caput Ecclesiæ, sic debet semper, & sic hoc quoque tempore, esse & manere.

XXXV. Argumentum hoc coincidit cum primo Becani, ideoque nulla superest difficultas. Si Major loquatur de formâ internâ, concedimus illam, & vera infertur conclusio. Nam ut ab initio Christus fuit unicus supremus Rector & Caput Ecclesiæ suæ; sic mansit, & hodieque est. Si autem Major loquatur de externo gubernandi modo & mediis, tum Major simpliciter vera non est, ut demonstravimus. Sic etiam omni tempore, & quidem Apostolorum non fuit gubernata Ecclesia. Christus enim non unum, sed duodecim Apostolos elegit, eosque pari jure ac gubernandi potestate instruxit. Quod autem Petrus quandoque à Patribus *Ecclesiæ caput* dicitur, id fit per Metonymiam, quâ nimirum servo tribuitur, quod est Domini. Hoc verò modo omnes Apostoli & Episcopi dici possunt Ecclesiæ caput. Gregorius lib. 4. Ep. 38. *Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & universalis Ecclesiæ. Paulus, Andreas, Johannes, quid aliud sunt, quàm singularium plebium CAPITA, & tamen sub uno capite omnes membra sunt Ecclesiæ.* Quod si ergò Petrus non fuerit universæ Ecclesiæ caput; utique nec in eo ipsi successum fuit.

XXXVI. Tertium & Quartum argumentum desumpta à dicto; *Pasce oves meas*, sæpius refutata sunt. Quintum argumentum his proponit verbis: *Quintò, Ecclesia est unum corpus, & suum quoddam caput hic in terris habet præter Christum, ut patet ex 1. Cor. 12. ubi posteaquam dixit Paulus, Ecclesiam esse unum corpus, subjecit: Non potest caput dicere pedibus, non estis mihi necessarii: quod certè non convenit Christo. Ipse enim potest dicere nobis omnibus, non estis mihi necessarii. Nullum autem aliud caput assignari potest, præter Petrum, nec debet moriente Petro corpus Ecclesiæ manere sine Capite, oportet ergò aliquem Petro succedere.*

XXXVII. Tota vis hujus argumenti consistit in dicto Paulino, allegato *ex 1. Cor. 12.* Probè ergò notandum est, quod Apòstolus in capite illo duodecimo duo doceat, Primum primis undecim versibus, varia esse dona Spiritus, variasque etiam necessitates & functiones in Ecclesiâ: Subsequentibus postea versibus usque ad finem, proposito paradi-gmate & similitudine humani corporis, easdem functiones ostendit ad communem utilitatem Ecclesiæ studiosè & scitè adhibendas esse. Sensus ergò hujus partis posterioris hoc Syllogismo potest includi: *Sicut si habent membra singula in corpore humano ergà se invicem & erga totum corpus; ita etiam singuli pii, præsertim aliquibus donis ornati, ergà se invicem, aliosq; atq; adeò ergà totam Ecclesiam: Sed omnia membra in uno corpore humano sibi invicem summo studio serviunt, & concorditer omnes operas ad conservationem totius corporis conferunt: Ergò & singuli pii idem facere debent.*

XXXIIX. Et in toto hoc Syllogismo nullius capitis universæ Ecclesiæ fit mentio: quemadmodum neque in verbis Pauli. Nam licet recenseat corporis humani membra, non tamen dicit aliquod membrum in Ecclesiâ est caput, quemadmodum non dicit, aliquod membrum est auris, aliquod membrum est oculus, est manus, est pes &c. Quocircà non tam ad ipsa membra, ut suam habent existentiã in corpore humano, in suã similitudine & applicatione respicit Apòstolus, quàm ad ipsorum mutua officia. Ut, quemadmodum quædam in corpore humano membra sunt excellentiora, ut caput, oculi, aures, &c. cæteris nihilominis inferioribus succurrunt & inserviunt, sic neque singularibus donis prædita membra in Ecclesiâ despiciere vel contemnere debeant alios, ejusmodi donis non præditos & excellentes, sed illos potius pro re nata ac facultatibus juvare, illis inservire, succurrere, non deserre, &c.

XXXIX. Malè ergò argumentatur Jesuita à similitudine ad identitatem hoc modò: Qui in Ecclesiâ confertur à Paulo capiti corporis humani, ille est caput in Ecclesiâ: Atqui Pe-
C trus

trus in Ecclesiâ confertur à Paulo capiti corporis humani: Ergo Petrus est caput. Quis Jesuitæ concederet & Majorem & Minorem? Majorem falsam esse ex modò explicatis patet. Deinde si allegoria ista $\chi\tau$ τὸ ἄνωγιον intelligi deberet, haberet Ecclesia non tantùm visibile caput, sed quoque visibiles oculos, visibiles aures, visibiles manus, visibiles pedes, & cætera membra omnia: Sed non puto Jesuitam adeò absurdum ac stolidum esse, ut absurdissima ista & stolidissima concedat.

XL. Minorem falsam esse liquet. Nam Petri nulla planè fit mentio. Quæ autem sint præcipua & excellentiora membra Ecclesiæ, recenset Apostolus v. 28. *Et alios quidem, inquit, posuit Deus in Ecclesiâ primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum:* Et applicat in sequentibus ad similitudinem. En, primum omnium locum dat *Apostolis.* Si ergò hi sunt conferendi cum capite, & visibile caput Ecclesiæ constituendi, tum non solus Petrus, sed omnes Apostoli erunt caput Ecclesiæ. Si autem officium solius Petri esset Monarchicum, & sic omnium primum adhuc supra Apostolatam: tum certè dicere non potuisset Paulus, *inter membra Ecclesiæ primum locum habere Apostolos, cum is tribuendus esset Monarchæ & sic soli Petro.* Verùm hoc non facit; Si autem ita esset, ut volunt Papani, non debuisset, neque potuisset tacere: Siquidem, quomodo inter primaria officia & membra excellentia, enumerataque omnia, id quod excellentissimum est, cæterorumque omnium caput, omisisset?

XLI. Probè quoque notandum est, quod à Paulo Ecclesia opponatur capiti, ut corpus. Verùm in ejusmodi oppositione corpus non habet caput, sed complectitur reliqua membra omnia præter caput, quod hic est solus Christus, nullus Apostolus, nullus Episcopus, nullus homo.

XLII. Sextum argumentum Bellarmini est: *Sextò in Veteri Testamento successio erat summorum Pontificum. Nam Aaroni successit Eleazarus Num. 20. & Eleazaro Phinees Judic. 20. & sic de cæteris.*

ceteris. At Sacerdotium Testamenti Veteris figuram fuit Sacerdotii Testamenti Novi: Igitur & nunc successio in sede Petri, primi ac summi Christianorum Pontificis, conservari debet.

XLIII. Constat hic discursus Profyllogismo & Syllogismo principali: Is ita potest ac debet formari: Quod fit in typo & figura; id quoque fieri debet in antitypo, & in eo cuius est figura: Atqui V. T. Sacerdotium summum fuit typus & figura summi Sacerdotii N. T. Ergo quod factum est in summo Sacerdotio V. T. id quoque fieri debet in summo Sacerdotio N. T. Syllogismus porro sic formatur: Quod factum est in Sacerdotio V. T. id quoque fieri debet in Sacerdotio N. T. Atqui in summo Sacerdotio V. T. facta est successio: Ergo quoque in summo Sacerdotio Nov. Testamenti succedi debet.

XLIV. Negamus primum Majorem Profyllogismi. Quandoquidem non quod in figurâ fit, statim in præfigurato fieri debet vel potest. Sanè Agnus Paschalis erat figura Christi, & torrebatur igni, membratim dilacerabatur, sensualiter comedebatur: Christus verò neque igne tostus est, neque membratim discerptus, neque sensualiter comestus. Jonas à pisce absorptus, erat figura Christi sepulti & tempore absorptionis non erat mortuus, neque anima ejus à corpore erat separata: At Christi corpus jacuit in sepulcro reverâ mortuum, anima ab illo erat reverâ separata. Ex falsâ ergo hac majore sequitur falsa conclusio. Quæ cum sit propositio Syllogismi principalis, liquet & illam falsissimam esse: Non enim quicquid factum est in Sacerdotio V. T. statim fieri debet in Sacerdotio N. T.

XLV. Nam 1. in Sacerdotio V. T. quotidie fiebant cruenta sacrificia. In Sacerdotio autem N. T. non nisi unum cruentum est sacrificium, idque non nisi semel oblatum est, neque sæpius offerri debuit, neque potuit. 2. In V. T. Sacerdos & victima toto genere erant diversa: In N. T. verò summus Sacerdos & victima sive hostia re ipsa unum
O 2 idemq;

idemque sunt, nempe Christus, qui se ipsum obtulit Patri in redemptionem omnium peccatorum. 3. In Sacerdotio V. T. summus Sacerdos quotannis semel ingrediebatur in Sanctum Sanctorum, quod manu factum erat: Summus verò Sacerdos N. T. non in Sanctum Sanctorum, quod manu factum est, sed in coelum ingressus est, atque ibi semper pro nobis intercedit. 4. Sacerdotium summum in V. T. fuit officium ordinarium & Sacerdotes erant mortales, proindeque in illo fuit successum: Sacerdotium verò summum N. T. fuit officium extraordinarium & personale, nempe solius Messiae, qui semel est mortuus, à mortuis verò resurrexit, & amplius non moritur. Id docet Epistola ad Hebr. cap. 7. v. 23. *Et illi quidem plures facti sunt Sacerdotes, quod mors prohiberet eas permanere: At iste propterea quod in aeternum manet, perpetuum habet Sacerdotium.*

XLVI. Unde sic argumentor: Sacerdoti, qui vivit in aeternum & perpetuum habet Sacerdotium, in Sacerdotali officio nemo succedere potest: Atqui Sacerdos N. T. qui est Christus, vivit in aeternum, & perpetuum habet Sacerdotium, ut demonstratum: Ergò Sacerdoti N. T. qui est Christus, nemo succedere potest. Atque sic blasphema figmenta sunt Pontificiorum de successione summi Pontificis in N. T.

XLVII. Revertamur nunc ad tertium argumentum, Becani pro primaru Pontificis respectu totius Ecclesiae, quod proponit, *lib. 3. de Repub. Eccles. cap. 4. §. 8.* & desumptum est à Titulis, quos Patres tribuunt Pontifici. Repetitur illud & contrahitur in *Manuali lib. 1. cap. 4. §. 62.* his verbis: *Primus titulus est; Caput Universalis Ecclesiae. Qui titulis habetur in Epistola Paschasini Episcopi, & aliorum de Damnatione Dioscori, Tom. 2. Concil. in fine Concilii Chalcedonensis, ubi leguntur haec verba: Unde Sanctissimus & Beatissimus Papa, Caput universalis Ecclesiae Leo, per nos, ut Legatos suos, sancta Synodo consentiente, Petri Apostoli praeditus dignitate, qui Ecclesiae fundamentum & petra fidei, & caelestis Regni janitor nuncupatur, Episcopali eum dignitate nudavit. Secundus est; Papa universalis Ecclesiae. Quo utuntur Athanasius*

fius & Episcopi Aegypti in Epist. ad Marcum Papam (si modò Athanasio adscribenda sit illa Epistola) Domino, inquit, sancto, & Apostolici culminis venerando Marco, sanctae Romanae & Apostolicae sedis, atq; universalis Ecclesiae Papa, Athanasius & universi Aegyptiorum Episcopi salutem. Cui similis est hic titulus: Pastor & custos ovilis Christi. Quo utuntur Ambrosius, Cassianus, & ceteri Episcopi in Epistolâ ad Siricium Papam: Quae est Epistola 81. inter Epistolas Ambrosii: Item hic: Custos vineae Salvatoris. Quo utitur Concilium Chalcedoniense, in citatâ relatione ad Leonem Papam, cum ait: Et post haec omnia, insuper & contra ipsum, cui vineae custodia à Salvatore commissa est, extendit insaniam, id est, contra tuam quoq; Apostolicam sanctitatem. Tertius titulus est: Summus Pontifex: Summus Papa: Summus Sacerdos: Princeps Sacerdotum: Summus omnium praesulum Pontifex. Quem illi tribunt Bernardus in suis Epistolis ad Romanos Pontifices, Hieronymus in praefat. Evangeliorum ad Damasum, sexta Synodus Aët. 18. in sermone acclamatorio: Valentinus in Epistolâ ad Theodosium, quae habetur Tom. 1. Conciliarum. Et Stephanus Archiepiscopus Carthaginensis in Epist. ad Damasum Papam, quam scripsit nomine trium Conciliorum Africae, in quâ sic legimus: Beatissimo Domino & Apostolico culmine sublimato Damaso Papa, & summo omnium Praesulum Pontifici.

XLIX. Argumentum, in formam Syllogisticam resolutum, tale erit: Qui in Epistolâ Paschasini Episcopi & aliorum dicitur caput Universalis Ecclesiae, & praeditus Petri Apostoli dignitate; ab Athanasio & Episcopis Aegypti Papa universalis Ecclesiae; & ab Ambrosio, Barriani & cæteris Episcopis, Pastor & Custos ovilis Christi; item custos vineae Salvatoris; ille jure divino habet amplissimam & Monarchicam potestatem in Ecclesiâ: Atqui Papa Romanus dicitur in Epistolâ Paschasini & aliorum caput universalis Ecclesiae &c. Ergo Papa Rom. habet jure divino amplissimam & Monarchicam potestatem in Ecclesiâ. Negamus Majorem. Quia non qui à Paschasino & nonnullis Patribus & Episcopis ita vocatur; sed qui à Deo ita instituitur, Ecclesiae primatum sive suprema

nam Jurisdictionem habet. Non humanum, sed divinum testimonium ad tantam rem stabilendam allegare oportebat.

XLIX. Deinde Minor quoque nihil facit ad rem 1. Quia Epistola Paschasini nonnullis videtur supposititia. 2. Si etiam omninò id dicat Paschasinus, dicat quoque Athanasius, dicant alii; vel etiam Concilia quædam ipsa, nihil curamus: quippe qui ignorare non possumus, quosdam ex Patribus plus justo tribuisse Præsuli Romano propter potentiores principatatem, ut Irenæus loquitur: Cum Roma Orbis caput tum fuerit. Hos, inquam, non curamus: quin potius cum Augustino respondemus *de Unitate Ecclesie* c. 16. mihi p. 544. *Ecclesiam suam demonstrent, si possunt, non in sermonibus & rumoribus Apherorum, non in Conciliis Episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra ista verbo Domini preparati & cauti redditi sumus: sed in præscripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus Canonicis sanctorum librorum autoritatibus, &c.* Imitantur etiam in hac disputatione Papani Arianos, de quibus Tom. 2. sic scribit Athanasius: *Ariani videntes, se nihil posse ex Scripturâ pro suâ hæresi habere, ad Patres se convertunt, sicut prædones cum de suis studiis malè audiunt, fingunt sibi socios probos & modestos, &c.* Sed interim opponimus istis Patres Concilii Carthaginensis Can. 26. *Nullus Episcopus debet vocari summus Sacerdos, Princeps Sacerdotum.* Deinde Concilii Hipponensis Canon. 27. *Quin hoc ipsum relatam est in longos populos: Prima sedis Episcopi non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi. (Ergò neque caput Universalis Ecclesie.) Sed tantum prima sedis Episcopus; ut UNIVERSALIS autem nec Romanus Pontifex appelletur.* Dist. 99. c. *Prima sedis.* Imò Concilii Nicæni laudatissimi illius, in quo Arii hæresis damnata est, Canone 6. *Omnes Metropolitanos & Patriarchas Romano Episcopo aequales facit, nec huic quicquã amplius, quàm Alexandrino*

drino

drino, Antiocheno, & cæteris aliorum Provinciarum Metro-
politans tribuit.

L. Sciat etiam Becanus, Patres allegatos non repræsentare Universam Antiquitatem, minimeque esse omnes Patres.

LI. Verba Canonis notatu digna scribam: Τα δε χαῖα εἰρηροφείτω: τὰ ἐν ἐγύπτῳ καὶ λιβύα, καὶ πενταπίλῃ, ὡσεὶ τὸν ἐν ἀλεξανδρεία Ἰπισκοπον πάντων τῶτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τὰ ἐν τῇ ῥώμῃ Ἰπισκόπων τῶτο σιωπηθέν ἴσιν. οὐοίωv δὲ καὶ καὶ τὴν Αντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἀλλαις ἐπαρχίαις τὰ βρεσβεία σώζεσθαι τὰς ἐκκλησίας. In Jure Canonico Latinè redditur hunc in modum: *Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Lybiâ & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem; quandoquidem & Episcopo Romano parilis mos est: Simpliciter autem & apud Antiochiam exterarumque provincias, honor sum unicuique servetur Ecclesie* Distinct. 65. Quia verò versio hæc Gentiano Herveto Papano videbatur à Græco Canone aliquantulum dissidere; novam hanc substituit: quæ habetur & legitur in primo tomo Conciliorum Colonia editorum p 342. *Antiqui mores servantur, qui sunt in Ægypto, Lybiâ & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoquidem & Episcopo Romano hoc est consuetum: Similiter & in Antiochiâ, etiam in aliis provinciis sua privilegia ac sua dignitates & auctoritates Ecclesiis servantur.* Quorsum nunc abiit primatus Pontificis Romani? exupit, evasit, exulatum abiit ex Catholica Ecclesiâ.

LII. Secundum privilegium, quod Becanus Pontifici Romano lib. 3. de Rep. Romanâ cap. 4. §. 18. tribuit, & in Manuali lib. 1. cap. 4. §. 63. primum facit, est appellatio ad Pontificem: *Quod omnes Episcopi totius orbis, qui in judiciis Ecclesiasticis sentiunt se gravari ab Episcopis aut Synodis Provincialibus, possint confugere ad Romanum Pontificem, tanquam ad judicem superiorem, cui reliquientiam Episcopi subiecti esse debeant; & à cujus sententia non licet ulterius provocare: Hoc patet ex Concilio Sardicensi c. 4. juxta secundam editionem: Hosius Episcopus dixit: Quod si aliquis Episcopus judicatus fuerit*

fuerit in aliquâ causâ, & putat se bonam causam habere, ut iterum iudicium renovetur, si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in propinquo morantur, Romano Episcopo. Et si iudicaverit revocandum esse iudicium, renovetur, & det iudices. Si autem probaverit ralem causam, ut ea non refricentur, qua acta sunt: qua decreverit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, statuatur. Synodus respondit: placet. Etc. s. ejusdem secunda editionis: Cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur locis, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Româ; alter Episcopus in eadem Cathedrâ (post appellationem ejus, qui videtur esse depositus) omninò non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata.

LIII. Argumenti hujus forma hæc est: Qui privilegium habet, ut ad eum ab omnibus undique legitimè appelletur, & à quo non liceat appellare, ille est œcumenicus Pontifex & caput totius Ecclesiæ: Romanus Episcopus habet illud privilegium: Ergo est œcumenicus Pontifex, & caput totius Ecclesiæ. Respondemus primùm ad Majorem, laborare illam fallaciâ à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Non enim qui quovis modo, sive jure divino sive humano, istiusmodi privilegium accepit, est œcumenicus Pontifex, sed qui jure divino habet, is solus est caput Ecclesiæ. Sic limitatâ Majore, negamus Minorem. Quandoquidem Jesuitæ ut probare non possunt, Pontificem Romanum illud privilegium habere jure divino, sic neque probant, sed tantùm humanum, allegant, nempe nonnullorum Patrum, in Concilio Sardensi coactorum, auctoritatem. De quâ jam videndum.

LIV. Probat Becanus horum Canonum auctoritatem ex eo, quod sibi persuadeat Concilium hoc œcumenicum esse. Sic enim pergit in Manuali §. 64. & 65. Hi duo Canones magnam habent auctoritatem in Ecclesiâ, quia Concilium Sardicense, in quo conditi sunt, semper ab Ecclesiâ fuit receptum. De quo Sulpitius lib. 2. Histor. scribit; Ex toto orbe fuisse convocatum. Et Socrates lib. 2. sap. 16. appellat Concilium generale. Interfuerunt enim Legati Julii
Prim,

Primi Pontificis, & præterea ex toto terrarum orbe plusquam trecenti Episcopi, nominatim ex Galliâ, Hispaniâ, Britanniâ, Africâ, Ægypto, Syriâ, Thraciâ, Pannoniâ, & aliis Provinciis, ut refert Athanasius Apologiâ secundâ, circa initium. De iisdem Canonibus, sic scribit Gelasius Papa in Epistolâ ad Faustum: Ipsi sunt Canones, qui appellationem totius Ecclesiæ, ad hujus sedis examen voluerunt deferri. Ab ipsâ verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt. Et in Epist. ad Episcopos Dardaniæ: At illam, de qualibet mundi parte, Canones appellari voluerunt: Ab illâ autem nemo est appellare permissus. Habentur hæc Epist. in tom. 2. Concil. inter decreta Gelasii Papa primi.

LV. Ut autem satisfaciamus Jesuiticæ huic objectioni; Primum placet in Genere videre, an Concilium hoc sit œcumenicum. Deinde in Specie, an tantam habeant auctoritatem allegati Canones, ut sibi imaginatur Becanus.

LVI: Primum itaque negamus, Concilium Sardicense hoc œcumenicum sive universale fuisse. Fuit enim particulare Episcoporum Occidentis. Si ergo aliquid probat, nihil amplius probabit, quàm ad Romanum Episcopum ab Occidentalibus tantum Episcopis appellari, non verò ab Orientalibus. Fuisse autem Concilium hoc particulare tantum, testis est Sozomenus lib. 3. cap. 10. disertè tradens, Episcopos Occidentis, & Episcopos Orientis non potuisse in unum convenire: proindeq; utrosq; sua decreta seorsim edidisse. Atq; hæc quoq; causa est, quod Concilium hoc non soleat inter Universalia numerari. quorum primum est Nicænum, & secundum in ordine Constantinopolitanum, & sic porro. Si autem hoc Sardicense esset Universale, tum secundo loco inter œcumenica computari deberet, non Constantinopolitanum.

LVII. Quod attinet Sulpitium & Socratem, quorum ille scribit, ex toto orbe convocatum fuisse; hic verò appellat Concilium generale: Respondemus nos, ob hos ipsos autores & ipsorum testimonia, negare, Concilium hoc generale fuisse. Nam negare non possumus, Constantium, Constantini fideiū, Imperatorem, convocasse Concilium generale. Testante enim illud Socrates, Sozomenus, Theodoretus: Verum non tantum

D

hoc

hoc testantur, sed addunt etiam, eventum non respondisse. Edicitur, inquit Socrates, Concilium generale, ut omnes Sardicam convenirent. Verùm paulò post addit: *Episcopi circiter trecenti, qui versus occidentem habitabant, ut ait Athanasius, eò convenerunt. Ex Episcopis autem, qui Orientem incolebant, (ut Sabinus narrat) solum septuaginta sex Sardicam adventant.* Ergò, concludis, adhuc stat sententia Becani & Bellarmini. Nequaquam verò. Nam porrò testatur Socrates, neque hos ipsos quidem interfuisse Concilio. Sic enim subjicit: *Postquam autem Sardicam convenerant Episcopi Orientis, in conspectum Episcoporum, occidentem incolentium, venire noluerunt, dixeruntq̄, se non alià conditione cum illis in colloquium venturos, nisi Athanasium & Paulum è conventu expellerent. Verùm ubi Protogenes Sardensis Episcopus, & Osius, Episcopus Cordubæ minimè ferebant, ut Paulus & Athanasius abessent, Episcopi Orientales confestim discedunt: cumq̄, ventum esset ad urbem Philippi, quæ est in Thraciâ, privatum inter ipsos Concilium instituitur.* Adhuc Socrates. Atque sic certum est, & Pontificii negare non possunt, solos occidentales in Concilio hoc remansisse, qui œcumenicum Concilium soli efficere non potuerunt.

LII X. *Gelasii* autoritas neminem Orthodoxum Christianum movebit. Erat enim Episcopus ipse Romanus, & sic testis in propriâ causâ. Et nemo nostrum non novit, quòd eo tempore, & proximè præcedente hoc hominum genus nimia ambitione laborare cæperit. Nam annis plus minus octoginta ante hunc Gelasium Zozimus Papa hoc ipsum Appellationis privilegium malis sanè artibus ab Afris extorquere, conatus est, jactans Niceni Concilii Canones, in quo crimen falsi commisisse deprehensus est: non ergò mirum erit, si successor ejus nihilo vel candidior, vel sanctior, Canones etiam ipse inflato ore crepet!

LIX. Porrò quod dicit Becanus, Bellarminum secutus, *Concilium hoc semper in Ecclesiâ receptum fuisse*, falsum est, si nimirum intelligat omnia ejus decreta. Quandoquidem hi ipsis Canones, de quibus in præsentiarum controvertitur, non tantum non recepti ac usurpati fuerunt in Oriente, sed ne quidē

in toto Occidente. Africani enim illos, fucatos nomine Concilii Nicæni, exploserunt. Inquis: *Orthodoxum tamen id fuisse?* Concedimus, & quidem in specie contra Arianos, etiam si in nomine *Hypostaseos* discedat ab omnibus Græcis, cum eam unicam Patris, Filii & Spiritus Sancti definiat: simulq; dicat, *neminem esse, qui neget, aliquomodo Patrem Filio majorem, nempe ipso Patris nomine*: Quæ sanè omninò negantur: Interim, ut diximus, affirmamus id orthodoxum fuisse, sed non propterea œcumenicum, neque etiam probandi hi Canones. Sanè Papiſtæ Chalcedonense Concilium agnoscunt Orthodoxum: interim nolunt admittere Canonem de æqualitate Romani & Constantinopolitani Episcopi. De Canonibus illis seorsim jam modò agemus.

LX. Ad Canones itaq; ipsos respondemus. 1. Illos nunquam ab Orientalibus Ecclesiis fuisse receptos. Sic n. Zonaras: *Hic Canon, inquit, manifestè de solis Occidentalibus pronunciatus est. Quia Hosius, quiq; cum eo Canones condebant, ex iis erant partibus. Etenim in oriente nullo modo huc usq; ea consuetudo valuit. Et Balsamon ad hanc Synodum: Quæ de Papâ definita sunt, assumenda sunt etiam ad Patriarcham Constantinopolitanum: quod is similiter ac Papa à diversis Canonibus sit honoratus.*

LXI. Deinde dicimus Canones hosce contrarios esse, 1. Synodo Nicæna: Nam 1. hujus Canon quintus disertè definit, ut hujusmodi causæ in Concilio provinciali terminentur: ἵτις οἱ ὁμολογῶντες πρὸς κεκρυμένους τῷ ἐπισκόπῳ καὶ λόγον ἀκοινώνησι τῷ πατρὶ εἶναι δόξωσι. Sic quos in confesso fuerit Episcoporum offendisse, meritò apud omnes excommunicati censentur. 2. Vetat quoq; eadem Synodus excommunicatos in suâ provinciâ, ab aliis in communionem suscipi & restitui: Ergò vetat quoq; id fieri debere à Rom. Episcopo. 3. Eadem etiam Synodus suam cuiq; Metropolitanò (qualis etiâ est Romanus) provinciam & diœcesin certis ac propriis finibus circumscripsit & jurisdictionem in suâ tantùm provinciâ Clericos tribuens, vetuisse intelligitur, ne quis sibi jus ullum in aliam provinciam arrogaret.

LXII. Has causas & rationes allegarunt Patres Africani, quando impudentissimam Romani Episcopi arrogantiam, quâ sibi jus appellationum, vi allegatorum Canonum & fraude criminis falsi commissi in allegandi Canonibus Concilii Nicæni, de quo modò diximus, vendicare ausus fuit, refutarunt, & ejus tribunal rejecerunt, superaddentes & has ipsas: Quia negotia in suis locis, in quibus orta, finienda. Quia Spiritus Sancti gratia, & rectè judicandi prudentia, in qualibet provinciâ Sacerdotibus Christi non sit defutura. Quia concessum sit unicuique, si sententia judicum suorum iniquè se prægravari sentiat, ad Concilia provincialia suæ provinciæ, vel etiam ad Universale Concilium provocare. Quia absurdum sit, existimare, examinis justiciam soli Romano Episcopo inspiratam, & innumerabilibus aliis Episcopis, in Concilium congregatis, denegatam. Quia judicium Romanum (quippe quod intelligunt per *Transmarinum*) non fuerit ratum eo, quod in illo testes necessarii esse non possint, vel sexus infirmitate, vel senii imbecillitate, vel aliis multis causis impediti. Quia talis potestas Romano Pontifici à nullâ Synodo sit tributa. Et huic rationi Patres Generalis Concilii Africani adjecerunt patefactionem & refutationem imposturæ, quâ Romanus Pontifex *Zozimus* Concilium Africanum fraudulenter & crimine falsi circumvenire & decipere conatus fuit, quod id, quod Romanus Pontifex prætendebat, in verioribus exemplaribus Nicæni Concilii non scriptum fuerit. Et tandem: Quia præcavendum fuerit, ne fumosus mundi factus in Ecclesiam Christi inveheretur. Hæc perpendant Jesuitæ, & dicant, qua conscientia hanc suam thesin defendere possint.

LXIII. Sed nondum dimittamus Sophistas: Opponamus insuper Sardensibus Canonibus, quæ ab allegatis Patribus Africanis tum in Concilio Milevetano coactis, expressis ac disertis verbis decreta sunt, hoc modo: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi vel ceteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant: & inter eos, quicquid est, siniant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum*

717

um suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverint appellandum, à nullo inter Africam suscipiantur. Ergò vi hujus decreti, qui ex Africâ ad Transmarina, id est, Italica sive Romana Concilia ac judicia appellarunt, excommunicati sunt: atque eo ipso jus Appellationum ad Romanum Pontificem pertinere, negatum & refutatum est.

LXIV. Canon hic in Jus Canonicum est relatus, *causâ 2. quest. 6. capitulo, Placuit*: Sed addita restrictione sive exceptione sanè impudentissimâ, nisi fortè Romanam sedem appellaverit. En extremam Papæ malitiam in Canonibus Conciliorum corrupendis! En enormem impudentiam, quâ non fuit veritus, Canonem illum, qui potissimum fedis Romanæ coërcendæ, & à jure Appellationum prohibendæ causâ scriptus erat, ita depravare, ut hæc ipsa sola excipiatur, ipsique concedatur, quod in Canone expressè denegatum fuit! Quid impudentius auditum?

LXV. Tandem intactum relinquere non possumus, falsum esse, *jus illud, in Concilio Sardicensi Pontifici Romano concessum, esse mere Appellationis, aut summæ in judiciis potestatis, sive tam latè patere, atq; postea Pontifex Romanus extendit. Quandoquidem nunquam Patribus Sardicensibus in mentem venit, concedere vel tribuere Pontifici Romano jus ad se causam trahendi, & de eâ judicandi: Sed duntaxat hæc tria permittebant: Primùm ut deliberaret, utrum judicium renovandum esset. Deinde arbitraretur, num à suo latere mittendi essent, qui renovatæ cognitioni interforent. Tertiò si videretur, daret quoque judices, qui tamen essent ex proximâ provinciâ: Verba enim disertata sunt: Δια τῶν γειττωῶν τῆ ἐπαρχίᾳ Ἡσιόπων: Per vicinos Provincia Episcopos: Si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur. Et rursus scribere dignetur, τῆ τοῖς Ἡσιόποις τοῖς ἀγχεύουσι τῆ ἐπαρχίᾳ, ut ipsi diligenter inquireant. Item, si decreverit, mittendos esse, qui presentes cum Episcopis judicent, erit in suo arbitrio. Atque hæc etiam ita permissa sunt, non quia jure divino ipsi deberentur (tum enim nulla esset permissio) sed*

D. 3;

quia

quia in Synodo placeret, memoriam D. Petri Apostoli honorare. Ita enim Hofius proponit: εἰ δοκεῖ ὑμῖν τῆ ἀγάπῃ Πέτρῳ τὴν μνημὴν τιμῆσαι: Si vobis videtur, charitate Petri memoriam honoremus. Deinde etiam ex dictis constat, Canonibus istis non decretum esse, ut lis Romam usq; evocaretur, vel etiam ut liti iudiciū Episcopo Romano deferretur; sed duntaxat permissum, ut ex sententiā eius iudiciū convocaretur. Quod verò in Canone quarto Latino est: Si proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, supposititium est, nec in Græco textu legitur, cuius verba sunt hæc ipsa: καὶ Φάσκει πάλιν ἐαυτῷ ἀπολογίας πρὸς γμα Ἰπὸ ἀλλεῖν: Et dixit sibi rursus defensionis negotium concedendum. Et tandem quidquid demum hoc sit juris, Antiochenum postea Concilium detulit Metropolitanis, cum provinciales Episcopi dissiderent, Canone 14.

LXVI. Pergit Becanus §. 66. Dices: Hoc privilegium appellationis, Ecclesiastico tantum jure concessum est, non divino. Respondeo. Non ita est. Nam antequam Ecclesiastico jure statutum esset in supra dicto Concilio Sardicensi, Episcopos posse appellare ad Pontificem; jam usu recepta erat hujusmodi appellatio, ut variis exemplis demonstrat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Pontif. cap. 21. circa finem. Unde etiam Leo Papa Epist. 87. ad Episcopos Provincia Viennensis in Galliâ, fatetur, antiquam esse consuetudinem appellandi ad Pontificem. Sic enim scribit: Vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam sedem pro sui reverentiâ, à vestra etiam provincia Sacerdotibus, innumeris relationibus esse consultam: Et pro diversarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.

LXVII. Ergo sic concludere vult Becanus: Quod privilegium Pontifex Romanus habuit, antequam Ecclesiastico jure in Synodo Sardicensi constitutum est, id habet jure divino: At qui privilegium Appellationis habuit, antequam Ecclesiastico jure in Synodo Sardicensi constitutum est: Ergo id habet jure divino. Hactenus negavimus Majorem, demonstravimusque, quod Concilium Sardicense non motum fuerit jure divino, ut aliquod privilegiū Appellationis concederet Pontifici

tifici Romano, sed tantum id liberè fecerit in honorem memoriae Apostoli Petri. Jam ergò & Minorem negamus: quam certè nullà ratione probat. Quandoquidem allegatæ auctoritates tantum hoc innuunt, fieri posse, ut Pontifex aliquid habuerit ex jure Ecclesiastico tanquam à multis annis, licèt postmodum in certum aliquem Canonem redactum fuerit: de jure divino nihil testantur vel probant. Et sanè, si verba Leonis probè consideremus & examinemus, patet, quod Papa duntaxat consuetudinem veterem; nullum verò jus divinum alleget.

LXII. Tandem concludit Jesuita §.67. *Porro hac consuetudo, quæ postea per Canones Concilii Sardicensis fuit confirmata, non aliunde, quàm ex Apostolicâ Traditione & auctoritate orta est, ut colligitur ex Theodoro in Epistolâ ad Rhenanum Presbyterum, ubi sic ait: Nudarunt me Sacerdotio, ejiciuntq; ex civitatibus, nec senectutem reveriti, neq; caniciem in religione & pietate nutritam. Quamobrem deprecor te, ut sanctissimo Episcopo (Leoni Papa) suadeas, ut Apostolicâ auctoritate utatur, jubeatq; ad Concilium vestrũ adire. Tenet enim sanctissima ista sedes gubernacula, regendarum cuncti orbis Ecclesiarum. Quare, quæ ab isto vestro tribunali proficiscuntur, qualitercunq; erunt, judicii vestri integritate confisi, amplectemur. Ubi clarè significat, Pontificem, non solo jure Ecclesiastico, sed auctoritate Apostolicâ, supremum esse judicem, in judiciis Ecclesiasticis: ac proinde ad illum appellari posse. Et rationem addit, quia Pontifex Romanus gubernat omnes Ecclesias totius Mundi: Ergò ab omnibus Ecclesiis totius mundi potest ad ipsum fieri appellatio. Eodem sensu scribit in Epist. ad Leonem Papam: Ego, inquit, suffragium sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro, atq; obsecro sanctitatem vestram, ut ea me, tribunal vestrum, justum ac rectum appellantem defendat, ac protegat & c. Vestram sententiam expecto. Quod si sententia eorum, qui me condemnaverunt, acquiescere jusseritis, acquiescã.*

LXIX. Respondemus testem hunc solitarium esse, qui fidem nõ facit, præsertim in tantâ re, tantiq; momenti. Quamquam vera appellatio non fuit, aut juridica causæ cognitio. Accusatores enim ejus nunquam Romam sunt evocati: Sed ex solâ ejus confessione, quam Leo Orthodoxam cognovit, in

com-

SOLE DIO GEORGE

communione est admissus : Proindeque res nihil habet novi, sed phrasis duntaxat insolita est : ut solet fieri, ut homines à summis dignitatibus ejecti, ad quamlibet confugiant tutelam, Rhetoricis utentes exaggerationibus, honorumque titulis abutentes. Atque hi ipsi sunt modi, quibus sensim Romana sedes emerfit ad aliquam dignitatem, sibiq; aliquid juris in alias Ecclesias sumsit. Cum enim sub Constantio & Constante Cæsaribus, Constantini Magni filius, Ecclesiæ Orientales turbatae ac divisae essent Ariano- rum factionibus, & Athanasius, præcipuus illic fidei Orthodoxæ defensor, sede suâ pulsus esset, calamitas hæc ipsum Romam venire coëgit, ut Romanæ sedis authoritate suorum hostiū rabiem utcunq; reprimeret, tum pios laborantes confirmaret: Idem fecerunt postea alii, confugerunt ad hanc sedem tanquam ad asy- lum & præsidium quoddam, exulantes, inter quos etiã fuit Theo- doretus, Ut ergò Athanasius honorificè susceptus est à Julio tunc Episcopo, sic Theodoretus à Leone, sic alii ab aliis. Unde liben- ter gratitudinis ergò sedi huic deferrebant, quam plurimum pote- rant autoritatis.

LXX. Postea mali quoque & improbi multum ipsi etiam addiderunt: Ut enim legitima effugerent judicia, ad hoc se conferebant asylum: Si ergò quis Presbyter à suo Episcopo, si quis Episcopus à Synodo suæ Provinciæ damnatus erat, statim Romam provocabat. Sic cum Eutyches à Flaviano Constanti- nopolitano damnatus esset, confugit ad Leonem, factam sibi esse injuriam conquestus. Ille statim patrociniū malæ causæ non minus temerè, quam subito suscepit, in Flavianum graviter inve- ctus est. Id quoq; sæpius in Africâ accidisse notum est. Simul n. ac nebulo quispiam in ordinario judicio succubuerat, Romam advolabat, multis calumniis suos gravabat: Romana verò sedes semper erat parata sese interponere: Ut tandem improbitas hæc Africanos Episcopos coëgerit sancire legem, ne quis sub excom- municationis pœnâ, ultrâ mare provocaret. Uti jam modò di- ctum & probatum est. Ex his ergò initiis & fundamentis Ap- pellatio ad Romanum Episcopum orta est, non ex Apostolicâ traditione vel autoritate.

SOLI DEO GLORIA.

